

23. Et mutila intellectu meremur infinitatem. Scal. d. Exerc. sect. 5.
24. Sit sanè mutila.
25. At interim non planè nulla.
26. Aliquid enim percipimus.
27. Et hoc aliquid non est planè nihil.
28. Hoc sive vile sive exile eruamus ex PRINCIPIS homini erudito. etiam extra Ecclesiam notis.
29. Et ille enim novit lumine Naturæ DEVM ESSE.
30. Quod Philosophorum testantur libri.
31. Testantur & Poëtarum, monente ipso Chemnitio part. 3. Exam. Concil. Trident. fol. 199.
32. Et qui non norit? Ecce!
33. Omne quod est, aut est à se, aut ab alio. Scal. Exerc. 6. sect. 3.
34. Omne quod est, aut est finitum aut infinitum.
35. At omnia, quæ sunt præter DEVM, sunt ab alio.
36. Sunt enim finita.
37. At omne finitum est ab alio.
38. At solus DEVS est infinitus.
39. E. solus Deus est à se.
40. Si est à se, utiq; est.
41. Imò: Divertendum tandem est ad unum, in quo conquiescas, quod aliorum causa sit, ipsius verò causa nulla. Scalig. lib. de c. l. l. c. 68.
42. In causis enim non datur progressus in infinitum. Taurell. in syn. Metaph. pag. 97.
43. At non possumus in alio acquiescere nisi in infinito.
44. Hoc enim TANTVM est à se.
45. E. ulterius ibi non possumus procedere.
46. E. & ibi tandem erit acquiescendum.
47. At in nullo verè possumus acquiescere, nisi IPSVM sit.
48. Quis enim sola privatione terminabit appetitum?
49. Philippum in Loc. Comm. Loco de Creatione pag. 53. & seqq. adi, & consenties.
50. Hunc jam ergo, quousq; Ratio humana potest, investigemus.
51. At potest languidè.
52. Et sic dum potest, non potest.
53. Sit sanè. Proderit tamen ut inde humanæ mentis agnoscamus in hisce, & nuditatem & ruditatem.
54. Hac